Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 827
Quelle:
Copyright:

Scriptori digne (jam?) *costa assatur in igne.*

VII. *fol.* 127. *Visio quam vlricus sacerdos vidit licet indignus de volchenmarcht prepositus archidyaconus karinthie.* Init: *Quia proprium est invidorum que bona audierunt, animo tabefacto lacessere, et falsa ueris sub specie veri immiscere, idcirco ego Vlricus de volchenmarcht* (Volkenmarkt Gentiforum Civitas ad Dravum) *prepositus licet indignus visionem, quam dominus ihesus christus mihi per gratiam suam reuelare dignatus est, fratribus qui id audire voluerint, non fastu presumcionis alicuius sed spe correctionis fideliter enodare proposui. Anno igitur gratie M°. CC°. XL°. in festo sancti siluestri pape cepi grauiter infirmari* &c. Narratio Beatorum felicitatem et Impiorum supplicia sub varia allegoria depingit ad modum plurium ejusmodi Visionum, quae feruntur. Illud singulare, quod refert *Ulricus*, dum ἐκστατικος super lectum *prius vnguento balsamato perunctum* ab Angelo ductore quiescere juberetur, eodem tempore hos, qui circa illum erant, ex eo sensisse *procedere insoliti odoris fraglanciam.* Accedit pium Commentum de quodam Episcopo, cui Deus pro aliquot diebus sceptrum, thronum et gubernationem rerum humanarum permiserat, item series Versiculorum moralium levis momenti, omniaque in miniatam hanc exeunt clausulam: *Explicit opus venerabilis doctoris Origenis super Cantica Canticorum Salomonis Comparatum tempore domini Georgii prioris karth. in kungswelt*, et post quaedam erasa: *Sabbato ante oculi. Anno incarnationis Millesimo domini CCCC. Hec tibi Sancta Trinitas quia tu laborem et dolorem consideras.* Item Imprecatio: *Iste libellus est domus sancte trinitatis prope brunnam ordinis carthusien. Non furto auferatur sub pena eterne mortis quam sancta trinitas fulminabit iusto sancto suo iudicio super delinquentem.* Cur Carthusia ista hic in *Königsfeld* dicta supra N. V. in *Nova Valla* s. *Valle* dicatur, nescio.

CCCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 317. f. max. per duas columnas nitidissime exaratus, rubricis distinctus, et, ut manus Sec. XIV. praenotavit: *Liber de Maur. ecclesia*, demum *Collegii Vienn. Soc. Jesu* egregium Exemplar est B. *Gregorii Papae Moralium siue Expositionis in Job.* Praescripta illi est Narratio de rursum *Romae* reperto hoc Opere manu Sec. XIV. phrasi paullum varians ab ea, quam *Mauriani* T. I. *Opp. Gregorii* exhibent. *Cyndesindus* eorum Rex nobis *Xyndesindus* est, eorum Episcopus *Tagio* vel *Trajo* nobis *Baro.* Extrema nobis: *Hec visio in omnibus libris moralium ante ipsum prologum per totam Hispaniam invenitur. Tu &c.* Id est: *Tu autem, Domine! miserere nobis.* Formula haec est terminandi Lectiones in Officio Cho- R. 820

ri,